

& ut amplum & magnificentum ædificium occasionem exhibet colligendi, inhabitare illam divitem, humilis Casa & vile Tugurium incolam illius esse pauperem, Mopsus vel Corydonem: ita si anima effugiavit sibi corpus egregium, vel etiam malè compactum & navis signatum, concludimus regulariter, illius incolam esse animum generosum, hujus verò depressum & humilem, ut ut quandoque Regula de similibus patiatur Exceptionem. Denique *Experientia*, quæ tot exemplis nixa compendium facere poterit omnium in hoc argumento litium.

XLI.

Signa autem Conscientiæ, vel hoc vel alio modo affectæ, possunt distingui in illa, ex quibus homo colligit de *sui* interiore statu, vel de *alterius* nempe proximi. Dari autem *prioris Generis* indicia, & posse hominem seipsum ex illis cognoscere & probare, evidens est *tum* ex eo, quia secundum Paulum, *spiritus hominis novit, quid sit in homine*, 1. Cor. 2. v. 11. *tum* ex eo, quia *cogitationes se vel accusant vel excusant*, Roman. 2. *Conscientia scit, quod malè dixerit*, Ecclesiast. 7. v. 23. *Cor nostrum nos condemnat, vel absolvit*. 1. Johan. 3. v. 20. 21. *tum* ex eo, quia ipsum Lumen Naturæ dicitur, indoles intellectus humani, quemque hominum operum suorum esse conscium, nec malè *Poeta*: *Conscia mens ut cuique sua est, ita intra pectora pro facto spemque metumque suo*. Cùm autem Conscientia sit vel bona vel mala, bona quidem cognoscitur ex *fide*, quam quisque videt in corde suo, unde Apostolus: *Vos ipsos tentate, an sitis in fide, vos ipsos probate, annon agnoscitis vos ipsos, videlicet Jesum Christum in vobis esse, nisi reprobi estis*: ex tranquillitate atque gaudio, quæ perfunduntur Mentes piorum. *Iustificati enim per fidem pacem habemus cum DEO, per Dominum nostrum Jesum Christum; per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe Gloria filiorum DEI. Non solum autem, sed etiam gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit, quia charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum S. qui datus est nobis*, Rom. 5. v. 1. 2. 3. 4. 5. *Absentia Stimulorum* subinde pungentium, lancinantium, de quo 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum. Exercitiis pietatis, frequentia actuum DEO placentium, quales sunt assidua Verbi lectio, auditio, meditatio, ardens & devota precatio, infirmitatis propriæ agnitio, proximi dilectio, fructus*

ctus